

From C.W.F. Walch, *Monimenta medii aevi* fasc. 2 (Gottingen, 1758), 106-20

[p. 106] Bertrandi Vaqueri theologi Montispessulani
panegyricus die 18 Augusti anno 1415 in Concilio Constantiensi dictus

[p. 107] Tu sis mihi gratissima, virgo Christi charissima,

Bene omnia fecit Marc. VII. Et in evangelio currentis dominicae verba haec habentur Salutiferum dirae pressurae victorem, odoriferum summe Cassiodoram, sacrae scripturae lectorem, in quadam sua epistola, considerans et gravissima peccatorum onera inundationesque vehementissimas vitiorum in huius vitae fluctibus intuens elevari; in his autem viatorem non posse; nisi gratia donante, resistere, concludens, quam caliginosae foeditates nos ipsos digne pro meritis obtinere non sinunt, in cunctis operis exordio virtuali, reginam Dei matrem castissimam precatu dulcisono et corde devotissimo inuocare compellitur per haec praefata doctoris verba, quibus sic inquit: Tu patrona humani generis, in afflictus rebus medica [p. 108] singularis. Quis tuo non egeat numine, cum fit peccare commune? Ad nutum igitur eius iuste, consulte, pro gratia Sancti Spiritus, in praesenti obtinenda, nos, qui olim eramus steriles subditique vae! cum stabamans sparsim exules filii Evae, sic dicamus statim humiles singuli: Ave Maria, gratia, etc.

Bene omnia fecit, loco et capitulo, ut supra. Pro cuius thematis introductione thema nostrum dividitur sub duplici dispositione. Et primo dividendo ipsum negative et secundo adfirmative. Negative dividam per modum admiratiuae quaestionis. Secundo adfirmative dividam per modum multifariae commendationis.

Pro cuius thematis introductione occurrunt mihi tria dubia, trium terminorum thematis impugnative. Quibus correspondebunt tres conclusiones in decisione responsiva.

Primum dubium: Si vir ecclesiasticus diligit avarorum voraginem, dimittendo virtutis imaginem et modo totali verificabitur prima pars thematis: bene?

Secundum dubium: Si vir ecclesiasticus eligit superborum caliginem pellendo vitae humilis limitem, signo universalis: quomodo de quolibet tali verificatur secunda pars: omnia?

Tertium dubium adhuc: Si vir ecclesiasticus iam ambit ignauorum pruriginem, deserendo [p. 109] bonis operis propaginem, in termino finali: cur ergo dicitur de tali iuxta tertiam partem thematis, fecit?

Motiva istarum quaestionum possunt haec esse: Nam quis ex cupidorum libidine dominatur interius. Ex avaritiae fecibus, se regendo indebite. Quia non bene. Ex superborum caligine quis elevatur. Iam penitus. Ex arrogantiae artibus, extollendo se undique, per omnia. Ex ignauorum prurigine hebetatur animus. Cum ex desidia corporis non operatur perinde, quia non fecit.

Dixi igitur primo, quod admirative quaeitur: Si vir et cetera cuius motiuum erat, quoniam, quis ex cupidorum et cetera. Ob hoc de talibus dicitur Sophoniae I. Perierunt omnes inuoluti auro et argento. Et sequitur: Et non bene erit eis, quoniam dominus deducit eos in direptionem et damnationem. Nec mirum, quoniam tales avari numquam satiantur, nec Deum timent; nec homines reverentur. Nec quilibet talis patri parcit; nec matrem cognoscit; nec fratri optemperat; nec amico fidem servat, opprimit pupillum, inuadit, falsum testimonium profert, res mortuorum occupat. O igitur insania cupidorum.

Amittero vitam et adpetere mortem, acquirere infernum et perdere caelum! verba sunt b. Augustini de verbis domini.

[p. 110] Et ideo sicut validioribus morbis, capite vitiato, reliquum est necesse, scilicet corpus inundatione superiorum morborum, lethaliter irrigari. Ita et his qui caput videntur ecclesiae, morbo pestifero fratrum vitiant corpus. Ita, ut videamus: passim in ecclesia, quos non merita, sed pecuniae ad episcopatus ordinem prouexerunt, ut ait Ambrosius in pastoralibus. Ideo tales in damnationis baratrum deducuntur, quia non bene est his, qui adsidue sunt in malis, scilicet Simoniacae prauitatis et avaritiae voracitatis, ut scribitur Ecclesiastici II. Et sic quilibet talis noluit intelligere, ut bene ageret iniquitatem, meditatus est in cubili suo, institit enim viae non bonae; malitiam autem, scilicet avaritiam et Simoniam non odiuit. Psalmo XXXVI. Et ideo ex praedictorum vitiorum caligine tenebrisque, talis non fecit omnia bene. Et hoc de primo.

Dixi secundo, quod admirative quaeritur: Si vir ecclesiasticus et cetera cuius motuum erat quoniam ex superbiorum et cetera. Ob hoc scribitur Philipp. III. omnia, quae sua sunt, quaerunt, ut possint sibi subsistere omnia, eis dominando per honoris provisionem. De quibus talibus conqueritur Innocentius de utilitate conditionis humanae in hunc modum: ambitiosus statim ut est ad honorem promotus, in superbiam extollitur, in iactantiam effrenatur [p. 111], non curat prodesse; sed gloriatur praesse, praesumit se meliorem, quia cernit se superiorem, priores dedignatur amico, notos ignorat, externos, comites contemnit, ceruicem erigit, factum ostendit, gaudia loquitur, subditis onerosus, omnibus infestus et gravis.

Quae omnia attente considerans beatus Bernhardus in quodam sermone sic inquit: o subtile ambitionis malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, vitiorum origo, tinea sanctitatis, exsiccatrix cordium, remediis morbos creans et ex medicina languores generans.

Propterea scribitur Ecclesiastici I. vanitas vanitatum et omnia vanitas. Et claudamus in maiori. Nam sola superbia destruit omnia et praeuenit, quod ex pestifera arrogantia, quilibet talis non bene fecit.

Dixi tertio: admirative quaeritur: Si vir ecclesiasticus iam embit ignauorum et cetera cuius motuum, quia ex ignauorum pruriginis et cetera quasi dicat: quod non, quia non perfecit, prout supra scribitur Es. XLVIII. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Nam talis insolenter agit, qui propriis desideris usibus enthetice quiescens et sub torpenti invidia vivere satagit, valida erronea exercitia penitus relinquendo. Horum ratione multiplicis [p. 112] dispendii criminibus ultro nec se subiiciens, angustiis asperrimis lethaliter inuoluitur, dum orationum patrociniis, speculationum studiis, operationum, motibus et cetera vacare recusat. Illa, quae studio propensiori, diligentia, ampliori exercitationis labore fuerant constituti, iugi inertia, execrabili otio, cuncta pereunt. Inertia est velut arbor mala, quae non facit fructum bonum, Matth. XVII. Nam ex animi inertia provenit, quod bonum inchoatum consummare, fastidiunt. Augustinus in libro de tusculanis quaestionibus. Imo est quidam animis torpor, quo quis negligit aliqua bona inchoare et ad debitum finem facere, ut beatus ait Bernhardus in quodam sermone.

Et sic turpissima iactura est, qua quis opus non facit, dum temporis opportunitas ei impenditur, Seneca epistola XXIII. Et sic ex tali inertia talis non profecit; quia non bene omnia fecit, quod est thema. Et hoc de tertio.

Et rationibus ergo tactis, in dubiis praefatis, videtur prima facie, quod de viris ecclesiasticis thema nostrum adfirmative non potest verificari. Et ideo pro parte

adfirmativa, sub triplici concione respondet thema, quod expressit, cum bene omnia fecit. In quo themate ponuntur tres conclusiones dubiorum responsiva, ut de viro ecclesiastico verificetur thema adfirmative.

[p. 113] Prima conclusio: quod istud sacrum concilium, Spiritu Sancto congregatum, corrigit auarorum piaculum, ex perfectione virtuosa, in nulla defectuosa, tenore adverbiali: Bene.

Secunda conclusio: superborum flagitium cum instructione luminosa, cunctis compendiosa, valore universalis. Omnia.

Tertia conclusio: deiicit ignavorum animum, exercitatione fructuosa, iamque non otiosa, labore suppositali: Fecit.

Primum probat abdicatio terrenorum contemplativa supernorum, sine imperfectione. Quia, bene.

Secundum probat castigatio supernorum, directiva subditorum, absque limitatione. Quia, omnia.

Tertium probat operatio meritorum, ostensiu praemiorum, iam completa actione. Quia, fecit.

Dico igitur primo, quod prima conclusio, responsiva primi dubii, est, quod istud sacrum concilium corrigit et cetera secundum quod hoc probat et cetera.

Ob hoc huic sacro concilio, corrigenti simoniae et avaritiae labem et iniquitatem, verissime potest dici: bene fecistis Dei voluntatem, 2. Maccab. VI. Nam avaritiae et simoniae manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda; sed palam sunt arguendi, **[p. 114]** qui palam nocent. Et dum aperta obiurgatione sanantur, si qui eos imitando deliquerant, corriguntur, plurimi emendantur. Et melius est, ut pro multorum salute unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. Verba sunt beati Gregorii in registro.

Unde merito tales correctura digni sunt, qui Simonis et Gezei lepra sponsae Christi pulcritudinem foedauerunt, reliquias sacras vendiderunt, dignitates et gradus sacrilegae venditionis commercio contaminaverunt. Tales ergo, qui ita execrabilia piacula commiserunt, hactenus habuerunt animas virtutibus destitutas, catenis vitiorum ligatas, pondere peccatorum pressas et ulceribus criminum foetidas. Haec Augustinus in libro meditationum suarum c. 19.

Et ideo ad corrigendum istos execrabiles excessus, expediens fuit istud sacrum concilium celebrari ex almi pneumatis gratia, dirigente, ut finaliter adipisci valeat aeternae retributionis praemia iuxta illud Eccles. XII. benefecisti. Ideo Albertus: bene fac iusto et invenies retributionem magnam, quia in te est vitae probitas, virtutum praerogativa, benevolentiae visus et gratiae facilitas, ut dicit Tullius libr. I. de offic.

[p. 115] Qua gratia mediante in isto sacro concilio corrigitur mundialis affluentiae defectus, expellitur criminalis Simoniae abusus et inducitur virtualis munditiae conceptus.

Ideo pro extirpatione execrabilium praemissorum defectuum habebit aeternae retributionis praemium, quia scribitur Ierem. XXXVIII. bene tibi erit et vivet anima tua. Et sic istud sacrum concilium ex sacris virtutibus plane omnia fecit bene. Et hoc de primo.

Dixi secundo, quod sacrum concilium et cetera secundum quod probat et cetera. Ob hoc scribitur Oseae XIV. omnem aufert iniquitatem scilicet virorum ecclesiasticorum superbiam compescendo, de quibus conqueritur Bernhardus super cantico, sermone

XXX. inquit in hunc modum: miror cuius ordinis sint nostri clerici, qui incedunt in adparatu ut laici, ut milites in acquisitione reddituum; sed non laborant ut laici, non pugnant ut milites; nec evangelizant ut clerici; et tamen utriusque ordinis esse cupiunt et utrumque deserunt et utrumque confundunt, a militibus acceperunt superbiae fastum, a mulieribus indecentem ornatum et multos alios abusus, qui explicantur e beato Bernhardo, ubi supra.

Decet ergo istud sacrum concilium considerare opus bonum; non dignitatem; non labores; non delicias; non crescere fastigio; [p. 116] sed humilitate decrescere, ut fiant servi et ministri hominum propter Christum. Haec Hieronymus super illo verbo: si quis episcopatum. Sic, quod victus episcoporum sit gravis, et omnia opera eorum sint notabilia. Ut quicquid agunt et quicquid loquuntur, totum sit doctrina populorum. Cuius tamen oppositum faciunt aliqui, qui iactant se habere dignitatem; et tamen non exhibent operationem bonam, ut dicit Hieronymus in quadam epistola.

Et ideo talium excessus tantam deordinationem et confusionem induxit, quod terra est sursum et caelum deorsum, pedes sunt supra et caput infra, dorsum ante et facies retro. Interiora sunt extra. Deus conculcatur et terra deificatur, diabolus honorifice recipitur et Deus contumeliose repellitur. Quae verba praelibata beatus Bernardus exponit in expositione regulae beati Benedicti et etiam tractans illud verbum Proverb. XXV. caelum sursum et terra deorsum, ubi terrena caelestibus praeponuntur, pedes sunt supra et caput infra, ubi viri spirituales despiciuntur; homines vero terrena sapientes ad regnum temporalium utiles in honore habentur. Facies est retro, cum in operibus, quae videntur bona, potius intenditur utilitas terrena quam merces aeterna. Interiora effusa sunt extra, cum bona interna [p. 117] negliguntur et exteriora diliguntur. Deus autem conculcatur et terra deificatur, ubi deficit charitas et regnat cupiditas. Diabolus honorifice recipitur et Deus contumeliose repellitur, ubi raptores et usararii cum honore recipiuntur et magnis expensis ad dignitates promouentur; vel male tractantur. Haec ille.

Sicut ergo in ordinationibus malorum, princeps est peccatorum, qui tales constituit: sic in ordinatione bonorum, princeps est iustitiae, qui bonos pauperas eligit. Haec Hieronymus super Esaiam. Quisquis enim cupit dignitatis tenere fastigia, humiliatatis sectetur ima. Nihil enim gravius est; quam ut fratres nostros pauperiores superbo oculo despiciamus, conformes nobis intolerabili repellamus fastidio, indignos promotione iudicantes, quia sunt inopes, cum paupertas sic acceptior Deo; quam hominibus. Ambrosius super illo verbo: Increpasti superbos.

Tales ergo defectus istud sacrum concilium corrigat. Cum sit verus sol illuminans, qui per omnia respexit, Eccles. XL. omnia illuminando in reformationibus omnium, taliter, quod omnia honeste et secundum ordinem fiant I. Corinth. XIV. quia est omnem habens virtutem, omnia prospiciens, omnia pensans, [p. 118] Sapient. VII. et ideo omnia in gloriam Dei facite, I. Corinth. X.

Ut merito de isto sacro concilio dicatur, quod corrigendo cuncta noxia, bene facit omnia. Et tantum de secundo.

Dixi tertio, quod hoc sacrum concilium deiicit et cetera secundum quod probat et cetera. Unde Deuteron. VI. scribitur: fecit, quod bene placitum est in conspectu domini, scilicet cum sedula meditatione, cum perfecta operatione, cum clara informatione et cum finali exsequutione, cum ratione bene considerata et feruida mansionem, attestante Tullio libro. II. Rhetoric.

Eapropter viri ecclesiastici in isto sacro concilio congregati debent facere meritoria opera, visitare devota oratoria, profundendo altissimo divina laudum praeconia, ut quae fuerunt facta et incepta, fine debito concludantur. Sed pro dolor plures, tamquam mariti et desides, multa dicunt et non faciunt, Matth. XXIII. quod verbum exponens Beda inquit. Hodie multi in ecclesia militanti liberati et doctrina sana imbuti, sunt, qui bene docent et male vivunt. Sua enim voce se ipsos damnant, alios virtutibus ditant et se ipsos peccatis excoecant, alios consolationibus divinis sanant et se ipsos iniquitatibus vulnerant; alios torsionibus et emendationibus purificant et se [p. 119] ipsos sceleribus maculant, alios voce Christi vivificant et se ipsos mortificant, alios saluant et se ipsos damant. Ut de quolibet tali possit verificari illud Matth. XXV. Alios saluos fecit se ipsum non potest saluum facere.

Non sic ergo dominus; sed iam de praesenti insistamus, divinis laudibus, vocemus meritoriis operibus et simus conformes divinis praeceptis et legibus, ita, quod omnia secundum leges Dei fiant, 2. Reg. VIII.

Cuius exemplum factum dedit nobis serenissimus et Christianissimus rex noster, Romanorum et Ungariae semper Augustus, qui in hoc sacro concilio omnia bene facit, pro sanctae matris ecclesiae unione et haeresium extirpatione, nocte dieque indefesse iugiter laborando, suum regnum Ungariae penitus deserendo, corpus suum periculis et discriminibus subiiciendo, bona et facultates suas exponendo, patrias alienas adgrediendo et singula finaliter, quae potuit, gessit. Quare omnia bene fecit, quod est thema. In quo themate sine persecutione ostenditur, quod ipse praedictus rex illustrissimus multum est Deo acceptus, dono perfectissimo, quia bene. Et in omnibus circumspetus, signo communissimo, quia omnia. Meritis est intentus, fine nobilissimo, quia fecit. Et sic non potest denegari infamia sui nominis, quia bene; nec culpari devotio singularis [p. 120] regiminis, quia omnia; nec adcurari de mora longaeui temporis, quia iam fecit. De primo Eccles. XII. quia bene fecisti, erit tibi gratia. De secundo omnia in sapientia fecisti, Sapient. XVIII. de tertio omnia, quae fecit, reddit ei et sicut fecit ei, de laboribus suis brabeum pollicendo, Ierem. X. quod utique obtinebit, quia scribitur Matth. VII. qui fecit voluntatem patris mei, qui in caelis est, introibit in regnum caelorum. Ad quod regnum ipsum et nos, post vitae huius incolatum, perducatur ille Dei Filius, qui secula seculorum vivit et regnat benedictus amen.